

IIII. &  
XX.

doctrinæ adversari, & obstare scribat, quò minus inter dissidentes partes concordia coalescat.

Harni.  
Fabr.  
36. a.

14. *Et Rabula ille Fabritius calumniari haud dubitet, Articulum istum ex Schola Simonis Magi, & Valentini, contra Ecclesiæ Catholicæ consensum esse repetitum:*

15. *Verum Scelus est in dica: Vanitas in probatione: Mentiendi & calumniandi libido plusquam Diabolica, in utroque.*

16. *Irenæus, l. 1. cap. 20. Simonis Magi heresim longè aliter, quàm Rabula ille describit: scribens docuisse ipsum, ne sectatores sui amplius curarent Prophetas, sed spem suam in se & Selenen (scortum suum) coniicientes, liberi agant, quæ velint. Nam secundum suam gratiam (ô blasphemiam) salvari homines, & non secundum operas iustas.*

17. *De Valentiniānorū utrò heresi testatur Epiph. l. 1. Tom. 2. heresi 31. Eos tres constituisse hominum ordines; Spiritualium, Animalium, Carnalium: Et finxisse, se suosque asseclas, spiritualium ordinem constituere, quippe qui ad consequendam salutem nullo labore amplius opus habeant, quàm sola cognitione, & arcanis suorum mysteriorum verbis: adeò ut quisque ipsorum intrepidè facere ausit, quodcunque libuerit: non posse enim non salvari suum ordinem.*

*Monstret*